

gas interiorem affectionem animæ, qualis ipsi advenire solet ex occasione corporis, N. ant. & conseq. Equidem si sensatio sumatur pro perceptione alicujus impressionis factæ in corpus, mens extra corpus nullam sensationem habere potest, cum enim copori desinat esse conjuncta, illius motibus tanquam occasionibus non afficitur. At si sensatio sumatur pro interiori ipsius humanæ mentis affectione, quæ occasionem habere solet a corpore, certe mens a corpore separata sentire potest, etenim iisdem perceptionibus tunc affici potest, Deo volente, quibus afficitur ubi corpori est sociata, cum eo tantum discrimine, quod ubi corpori sociata est, illas perceptiones accipit ab objectis externis *mediate*, scilicet mediante corpore suo; ubi vero a corpore soluta est, easdem aut similes perceptiones ab iisdem objectis poterit *immediate* recipere.

Objic. 2. Mens humana est essentialiter forma corporis, ergo pendet a corpore ut existat . . . Resp. Dist. ant. Est essentialiter forma corporis secundum *aptitudinem*, C. A., secundum *actuales informationem*, N. A. & Conf. Mens ex propria conditione apta est conjungi corpori & cum eo totum substantiale componere; sed cum sit substantia a corpore omnino distincta, & extra corpus agere possit, non est de *eius* essentia ut corpori jungatur. Hanc difficultatem fusius deinde explicabimus.

Inst. Mens humana est pars hominis: ideoque substantia *incompleta*, ergo de *eius* essentia est ut actu jungatur corpori . . .

*Jacq. Metaph.*

E

Resp.